PROLUSIO

INAUGURALIS,

DE

USU VESICANTIUM, quæ *Cantharides* recipiunt, in *Febribus*:

21

PROLUSIO
INAUGURALIS,
DE
Usu Vesicantium, quæ *Cantharides* recipiunt, in *Febribus*:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate ornati admodum viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS MOORE, Pensylvaniensis.

Ad diem 28 Julii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud Hamilton, Balfour, et Neill.
M,DCC,LII.

PATRUO SUO

RICHARDO HILL,

MEDICO MADEIRENSI,

INGENIO, MORUM SUAVITATE ET SANANDI PERITIA

PRAESTANTI,

STUDIORUM SUORUM FAUTORI BENEVOLO;

NEC NON,

CONSANGUINEO SUO PERBENIGNO,

LLOYD ZACHARY,

MEDICO APUD PHILADELPHENSES ARTIS USU

EXERCITATISSIMO;

HANC QUALEMCUNQUE PROLUSIONEM,

PRIMOS SUOS IN RE MEDICA CONATUS,

OMNI, QUA DECET, OBSERVANTIA

DICAT

CAROLUS MOORE.

PROLUSIO INAUGURALIS,

D E

Usu Vesicantium, quae *Cantharides* recipiunt, in *Febribus*.

INTER tot auxilia, quibus Medicina aegris ſanitatem promittit, vix ullum eſt, cujus naturam et vires phyſicas, leviori indaginis cura, quam Veſicantium inveſtigâſſe Medici videntur; animum idcirco adjeci ad quaedam de cantharidum viribus, quibus in Veſicatoriis adeo fortiter agunt, diligentiùs paulo explicanda.

Insecta, tam Graecis quam Latinis *cantharides* dicta, ſunt quoddam ſcarabaei genus, à Diaſcoride aliiſque veteribus pro lethali veneno habitum. Ex vermiculis ſupra frumenti ſummitates, foliaque populea excluſis, ſuam ducunt originem; et calidis potiſſimùm regionibus, nempe Gallia, Hiſpania, Italiaque creberrimè inveniuntur. Aliae ab aliis non modo colore, verum etiam mole longè diſcrepant: optimae autem habentur ſiccae, recentiſſimae, integerrimae, ſubviridi colore undequaque nitentes, quibuſque pennae ſunt lineolis aureis ornatae, et aſpectu perquam jucundae.

Hic loci fortaſſe haud alienum erit hiſce muſcis mortem conciliandi methodum commemorare, eas nempe ſupra aceti bullientis vaporem ſuſpendunt, deinde ſole ſiccatas in uſus vendunt medicinales: annon autem ruſtici acetum tanquam cantharidibus apprimè mortiferum in hunc finem potius adhibent, quam quod putredini arcendae aptiſſimum ſit, vix equidem ſatis habeo compertum.

Cantharidibus ex retorta diſtillatis, primò liquor limpidus ſubſalſi pungentiſque ſaporis; ſecundò coloris ſubfuſci, guſtatuque peraſper aſſurgit; dein qui tertiò prodit, is empyreumaticus, et adeò acer eſt, ut guttulam vel minimam ferre lingua vix poſſit; quartò autem ſal volatilis, acriſque copia mediocri; et poſtremò quantitas olei nigri foetidique parca oritur, dum nihil praeter paululum terrae vel capitis, quod vocant, mortui in vaſe ſuperſtat.

Ab analyſi ergo patet, haecce inſecta iiſdem propemodum conſtare principiis, quae Chemici in alia qualibet ſubſtantia animali inveniunt; hoc tamen cum diſcrimine, teſtante Vigano *, quod ſalem volatilem cauſticumque cantharides, pro rata parte, largiori, quam caetera animalium copia praebent.

Male

* Vid. Medul. Chem.

MALE inter ſe conveniunt auctores de muſcarum partibus, in quibus cauſtica haecce vis, cuticulam in bullulas attollens, lateat.

DE hac re opinionem valde futilem Borrichius * fovebat; ille enim inveniens oleum ſalemque cantharidibus extractum, manuique appoſitum nullam veſiculas inducendi facultatem habere, haſce muſcas, ope microſcopii, perluſtravit; quarum cum corpora cruraque permultis ſpiculis obſita perſpiceret, qualitatem cauſticam in ſpiculas iſtas illico contulit, quae cuticulam pungendo inflammandoque inſtar foliorum urticae manui impoſitorum, ſenſum uſtionis excitant.

HANC autem ſententiam veritati abſonam eſſe cuivis facilè patebit conſideranti, 1mo. Inſecta haecce ſpiculis ſuis orbata, vel etiam ſub tincturae tenuiſſimae forma propinata, eaſdem exerere vires. 2do. Multa etiam alia inſecta ſimilibus armata ſpiculis, licet cuti applicentur, eſcharotica non evadere. 3tio. Quaedam vegetabilia mucilagine copioſiori praedita, ſcillas nempe, allium, et coepe, cuticulae admota, Veſicantium munere fungi.

BORRICHIUS tamen veniam ſibi noſtram aliqua ſaltem ex parte dari vendicat: ipſe enim Hippocrates, medicinae parens, cantharides capitibus penniſque ſpoliatas, in

* Vid. Acta Hafncent. vol. IV. obſ. 80.

† Tract. de victu in acutis.

in hydropis curatione, et ad ſecundas expellendas laudat: hujus autem auctoritas tantùm apud nonnullos valuit, ut errores vel graviſſimos inde ſtabiliri confirmarique voluerint. Documentum ſanè inſigne! quam minimè tutum ſit cuivis nomini, ſive inter Medicinae, ſive inter aliarum artium cultores laudatiſſimo penitus incumbere.

Ex praegreſſis ſatis manifeſtum eſt, cantharides, ratione ſpicularum, partiumve figura, non agere: oportet igitur nos, opinioni multo probabiliori faventes, harum effectus, ſali cauſtico ac penetranti, quo abundant, tribuere; quoniam hujuſmodi ſal, Morgano judice *, omnibus effectibus, uſum cantharidum, tam internum quam externum, ſequentibus explicandis, praeclarè inſerviat.

Veruntamen in quam ſalium claſſem, hic iſte cantharidum accenſendus ſit, aut quaenam ſit propria ejus indoles, haud ita facile quidem judicium. Oleum vitrioli tincturae cantharidum, ſive cum ſpiritu ardenti, ſive aqua ſola paratae, affuſum, inſignes ſatis aeſtus fumoſque inter efferveſcendum concitat; unde forte in proclivi eſſet colligere cantharidum indolem eſſe alcalinam, earumque adeò ſalem inter alcalinos adnumerari debere.

Quum

* Philoſ. princip. Med. p. 304.

Quum autem oleum vitrioli cum aqua pura commiſtum ebullitionem et calorem inſignem excitet; cumque tincturae ſupra memoratae neque cum ſpiritu nitri, neque vitrioli efferveſcant, haud tuto concludere licet, ſalem cantharidum alcalinum eſſe: tamen non dubitandum eſt, quin inſigniter acris ſit, et indolis forſan ſemi-alcalino-volatilis, cui, unà cum oleo acri et utcunque cauſtico, deberi videtur vis illa excitandi veſicas his inſectis propria: nam quamvis neque vegetabilia, neque animalia, priuſquam putredinis igniſve gradum aliquem paſſa fuerint, ulla indolis alcalinae prae ſe ferunt indicia; ad hujus tamen naturam utcunque accedunt.

Cantharides, ſi aëri diutius objiciantur, vim ſuam rodendi exuunt: hanc autem ſali etiam ſemi-volatili deberi hinc utcunque effici forſan videatur, quod a calore nimio inter Veſicantia conficienda adhibito, haec eadem vis quaſi in auras avolet et diſſipetur.

Experimentis etiam conſtat, * ſalem urinae volatilem cuticulae admotum, ibique ope emplaſtri adhaeſivi aliquamdiu affixum, donec nimirum à corporis calore in actum deducatur, multos edere effectus ſolere, qui ab uſu cantharidum externo itidem eveniant, calorem ſcilicet, dolorem, inflammationem, veſiculas, ulcuſcula, &c.

B Haec

* Boerhaav. Chem. vol. I. p. 546.

Haec porro ſententia firmamento haud levi, magni ſcilicet Huxhami auctoritati, innititur; ille enim de febribus putridis et mali moris agens, ita nos monet; "ſal cantharidum eoſdem ferè praeſtat effectus, ac "ipſi ſales volatiles alcalici, adeòque ad ſanguinem cum "fundendum, tum etiam corrumpendum faciat neceſſe "prorſus eſt *."

Experimenta quaedam a viro doctiſſimo in lucem nuper edita, prima forſan fronte, demonſtrare videantur, ſales alcalinos putredinem animalium carnibus neutiquam conciliare; has vero contra eandem potius munire, et veluti condire †: rem vero hanc recta via reputanti facilè, ni fallor, pateſcat, hos ſales humoribus vivis, ut ita dicam, admiſtos, effectus longe alios habituros eſſe, atque iidem ſales cadaveri applicati; quid ni ideo ſententiam noſtram, non obſtantibus experimentis jam laudatis, tueamur?

Hactenus de cantharidum natura egimus; de praecipuis earum uſibus, quos apud veteres medicos ſortitae ſunt, nec non iis, quos hodie etiam obtinent, paucis jam acturi.

Ex veterum autem monumentis facilè patet, uſum cantharidum internum externo longe vetuſtiorem eſſe: horum

* Vid. Eſſay on Fevers, p. 119.

† Vid. Append. to Dr. Pringle's Obſerv. on the Diſeaſes of the Army.

horum enim insectorum usus internus vel antiquissimum Hippocratem minimè latebat; ille enim cantharides ad urinas in hydrope ciendas laudat; pessis etiam immistas ad uteri sordes evocandas *, nullibi vero ad vesicas excitandas, adhibet.

CANTHARIDES capitis cuti affricandas ad ulcuscula inurenda primus omnium praecepit Aretaeus †: hic etiam in morbo comitiali eas applicandas suadet, monens ut triduo ante aeger lacte utatur, ne vesicae fiat injuria. Eandem in epilepsia ut et paralysi curanda rationem, narrante Aetio, tenuit Archigines ‡; cui ut secta, ita etiam aetate conjunctus fuisse videtur Aretaeus.

GALENUS deinde emplastra, quae cantharides recipiunt adversus areas, impetigines, et scabies, cum fructu adhiberi posse auctor est: ille tamen, notante Clerico, in aliis plerisque omnibus morbis vel neglectui habuit hoc medicamenti genus, vel tanquam damnum quoddam allaturum rarissimè, ut ex scriptis ejus constat, in auxilium vocavit.

GRAECI recentiores, qui post Galenum vixerunt, nihil fere lucis attulerunt arti Medicae; nova itaque inventa de cantharidum usu frustra ab iis requiras.

ARABUM

* Vid. lib. I. de morbis Mulierum.

† Curat. diutur. morb. 1. 4.

‡ Tetrab. 2. serm. 2. 28. et 50.

Arabum quoque ſcripta de hoc argumento nequicquam conſuluntur; quamvis enim illi formulis medicamentorum concinnandis ſeſe totos dederunt, in iis tamen, qui de hac re protulerunt, Graecorum veſtigiis pro ſuo more inſiſtunt quam ſerviliter.

Apud Romanos haud ita magni factae ſunt cantharides: ipſe enim Celſus, utut in ſinapiſmis multus ſit, harum nuſquam, quod ſciam, niſi, prae-eunte Micone, ad papulas detergendas mentionem facit.

Cantharides cuti illitas adverſus lepram et lichenam, nec non ad tela elicienda valere, narrat Plinius.

Testimonium autem Scribonii Largi minimè hîc loci praetermittendum puto; hic enim cantharides cerato inſperſas virtute, qua cicatrices delent, pollere fidem nobis facit.

Hujusmodi ferè ſunt mala in quibus Antiqui cantharides cuti adhibendas voluerunt; neque tamen in his perpetuus fuit earum uſus, nec niſi vel frigidi humores vexarent aegros, vel morbi, aliis remediis nequicquam tentatis, adhuc ingraveſcerent.

Post renatas literas, cantharides cuti applicandi haud ſtatim invaluit mos: hoc enim remedio Fernelius, non niſi

contra

contra caecitatem * hydropemque † usus est, eo autem utenti summa cautela opus esse dicit. Hollerius tamen pulverem cantharidum, topicis irritantibus admistum, ad veternosos excitandos imperat; harum tamen usum in eo lethargo, qui cum febre conjunctus sit, Duretus meritò repudiat.

CURATIO cui sociam operam navarunt Hollerius et Paraeus ‡ memoratu non indigna videtur: foeminae generosae vultus papulis ardentibus, vix aliter atque ab elephantiasi dehonestatus erat; huic igitur faciem universam Vesicatorio cum cantharidibus parato contegerunt; unde dolor summus, febre vehementi stipatus, aegram in vitae discrimen adduxit; papulae autem omnes feliciter unà cum febre postea sublatae sunt.

HOLLERIUS ‖ porro de causticis agens, dolores sciaticos, podagricos, haemicranicos, cephalalgicos, ope Vesicarum, quas inducunt cantharides, frequentissime sedari; nec non viscera emundari, corpusque omnino sordibus recrementitiis liberari, et quam plurima denique alia inveterata mala, à cantharidibus in fugam verti memorat.

VESICANTIA recentioribus multo frequentius quam veteribus in usum veniunt: hodie autem eorum usus

C usque

* Conf. 12.
† Ibid. 34.
‡ Lib. 20. cap. 28.
‖ Institut. Chir. 3. 5.

uſque adeo, in febribus potiſſimùm curandis, percrebuit, ut ſaepiuſne hoc fiat, an imprudentius, haud facile quidem dixeris.

Dispiciendum itaque eſt quinam ſint cantharidum cuti applicatarum effectus. Hi vero quadruplices eſſe videntur. 1mo. Actio vaſorum in fluida contenta fortior, et motus ſanguinis incitatior. 2do. Sanguinis ſolutio, et acrior humorum indoles. 3^{tio}. Fluidorum ad loca, quibus admoventur Veſicantia, ſolito major derivatio, magnaque humoris ſeroſi, in veſiculis ſtagnantis, excretio. 4to. Dolor partis, cui Veſicatorium applicatum eſt, acerrimus; doloris autem, qui alia prius loca (interna pone vel remota quaevis) obſeſſerat, pacatio.

I. Quod ad primum attinet effectum; acria quaecunque alicui corporis parti impoſita, per dolorem, quem excitant, contractiones fibrarum naturales maximè augere novimus: quum vero hic effectus ſtimulum omnem corporis exteriora irritantem ſequitur, haud mirum eſt ſi cantharides, quae non modo, ſtimuli vulgaris ad inſtar, in partes externas agunt, ſed ſale quoque volatili et acri ſanguinem inquinant, univerſum vaſorum ordinem in vibrationes conjiciant validiores, novamque ſanguini velocitatem impertiant; hinc autem major fit humorum inter ſe attritus; corporis calor intenditur; quae vero à ſanguine ſecernuntur, copioſa magis deveniunt; febris oritur, et ſitis.

II. Sales

II. Sales cantharidum in ſanguinem delati, acri ſua indole hunc imbuunt, ejuſque, quam corporis ſalus exigit, craſin interturbant et ſolvunt: hac autem de cauſa factum eſt, monente Baglivio, quod ea corporis loca quibus Veſicatoria ampla diu inhaeſerunt, gangraena ſaepius tententur.

III. Humores hunc in modum tenuati, ad externa corporis, quibus applicantur cantharides, adeoque validiſſimus adeſt ſtimulus, vaſorum et membranularum fibras in contractiones ſolito crebriores vehementioreſque irritans, magna ruunt copia: hinc particulae ſeroſae, ubertim è vaſis expreſſae, epidermida, cum per cutis poros, ab emplaſtro jam obturatos, iis exitus denegetur, in bullulas elevant, et in morem utriculorum diſtendunt.

IV. Dolor levis, cuicunque demum parti is inſederit, miteſcit ſtatim et lenitur, modo alteri, quae cum priore, praeſertim ob ramuſculum nerveum ab eadem ſtirpe natum, compatitur, graviorem moleſtiam, ope cantharidum, aliuſve medicamenti acris, incutias. Hippocrates olim dixit, duobus doloribus ſimul non eundem locum infeſtantibus, vehementior alterum obſcurat *. Rei autem hujus ratio, unde ſit petenda, niſi a *Principio* quodam *ſentiente*, quod univerſas corporis noſtri actiones dirigere videtur; ingruente autem doloris cujuſpiam acrioris ſenſu, lenioris illico oblivifcitur, haud equidem video.

In

* Hippocrat. lib. 2. aph. 49.

In reliquorum etiam ſenſuum inſtrumentis hoc idem obtinet: ſonus enim vehementior debilem ſonum quaſi ſuffocat; odorque nares fortiter feriens, levem odorem tollit: homo à gravi perculſus ſono, objecta ante oculos poſita haud ſtatim videt: ſole autem meridiano effulgente, ſtellae minores (quamvis hae quoque in caelis perpetuo micent) conſpici neutiquam poſſunt; languidior quippe earum lux uſque adeo a ſolis jubare undique circumfuſo exuperatur, ut ſtimulus à radiis ſtellaribus retinae injectus, vix, ac ne vix quidem, cum mente, quam lux ſolis vividior jam totam occupat, communicetur *.

Effectus fere omnes cantharidum recenſuimus; adhuc tamen unus reſtat, explicatu ſanè perdifficilis, quem in propriam, ſive ſingularem cantharidum vim, quâ meatus urinarios inprimis afficiunt, Galenus, aliique plurimi poſt hunc Medici retulerunt; urinae intelligo difficultatem, ſive etiam retentionem.

Quum vero ab experimentis † Baglivianis, ut et iis, quae jam diximus, ſatis conſtat, quòd à ſtimulo cantharidum corporis vaſa fortiùs ſeſe contrahant, ſanguinis motus multum concitetur; ab harum autem ſale ſanguini invecto, multo hic ſolutior, putridus magis et acris evadat, ſecretiones quoque omnes ſeroſae uberiores longè hinc

* Dr. Whytt's Eſſay on the Vital and other Involuntary Motions of Animals, p. 293 & 294.

† Diſſert. de uſu et abuſu Veſicant. p. 1. 2. 3.

hinc fiant: annon probabile ſatis videtur, urinam, quae per renes omni fere tempore copioſa ſatis et utcunque acris demittitur, acerrimam juxta et copioſiſſimam poſt applicatas cantharides ferri debere? hinc vero ſphincter veſicae urinariae muco, quem natura ei obduxerat, ab urina praeterlabente acri, orbatus, vel doleat admodum, et urinam omnem penitus cohibeat, vel in ſpaſmos ſubinde actus, mictionem difficilem reddat, et interciſam, neceſſe eſt.

Reliquum eſt, ut febrium quarundam naturam, cùm ad earum potiſſimùm curationem emplaſtra, quae cantharides recipiunt, neceſſariò omnino habeantur, leviter jam perſtringamus: hinc enim melius, uti ſpes eſt, eluceſcat, quo jure, quâve injuriâ, ad cantharides his in malis, tanquam ad ſacram anchoram, Medici tam ſolenniter confugiunt: febres autem, quas volo, ſunt acutae, vel inflammatoriae, remittentes, intermittentes, lentae ſive nervoſae, et putridae.

Juvenes robuſti, quibus corporis adeſt temperies plenior, larga ſanguinis denſi ac viſcidi copia, et fibrarum firmitas admodum elaſtica, inflammatoriis febribus maximè ſunt obnoxii: hujuſmodi enim corporibus motus fluidorum vel levi ſaepius de cauſa exagitatur, unde naſcitur obſtructio febrem brevi accenſura; quae, dum majorem corpori calorem ingenerat, parteſque humorum tenuiores diſflat, ſanguini periculoſam adfert ſpiſſitudinem: hic autem

lentor inflammatorius, ex nimia ſanguinis copia motuque oriundus, non niſi ſanguinis miſſioni haud parcè inſtitutae, et liquoribus attenuantibus, aceſcentibus, et utcunque ſaponaceis largiter epotis, cedit: remedia autem, quae ſtimulo valent, actionem vaſorum in fluida augent, adeòque igni febrili veluti materiam praebent: Veſicantia igitur, quamvis humores viſcidos potenter ſatis incidant, ob ſtimulum, quem vaſis inferunt, in hoc febris ſtadio locum habere tutò non poſſunt.

Sub prima ferè harum febrium acceſſione, aegros quoſdam exercet delirium, ſive etiam phrenitis; his autem in malis, Veſicatoria pro remedio praeſentiſſimo apud medentium vulgus praedicari ſolent; temerè quidem nimis et oſcitanter: nunquam enim haec iſta medicamenta conveniunt, niſi ſanguis ea prius copiâ emiſſus fuerit, quae ad nimias ſolidorum vires minuendas, adeòque ad motus ſanguinis effraenatos, compeſcendos, ſufficiat. In declinatione autem harum febrium, ubi aeger, corporis viribus multùm jam labefactatis, pulſuque etiam concidente, comatoſus evadat, ſummos praeſtant uſus Veſicantia, tantos ſanè, ut vix alio febris tempore, nedum, delirio vigente, rite poſſe adhiberi voluit Baglivius: "In delirantibus, inquit, cum febre acuta, et lingua "arida, dum applicabantur in Xenodochio Veſicantia, "celeriter omnes moriebantur, et magna ex parte con-"vulſi; quibus repetitis eventibus perterrefactus, ipſe

"poſtea

" poftea feliciter ufus fum remediis diluentibus, emulfi-
" onibus refrigerantibus, et fectione venae frontis *."

Febres remittentes et intermittentes à caelo humido, et in horas ferè mutabili, quod folidorum vires minuit, et perfpirationem cohibet, oriri vulgò cenfentur; his ergo omnes penè ex aequo homines patent: quum vero cortex Peruvianus pro remedio fingulari in his febribus habeatur, Veficantia rarò, nec nifi infoliti quiddam iis interveniret, in ufum deducuntur.

Febris, nervofa dicta, iis potiffimùm infidiatur corporibus, quae prae nimia folidorum laxitate cibos affumptos malè concoquunt, et à chylo pravo, et inerti gravantur potiùs quam aluntur: hinc enim fluidum nervofum perparcè in cerebro fecernitur, dum humores interim ferofi et lymphatici, diutius in vafis remorantes, lentefcunt, et obftructiones pariunt: tempore autem corruptâ eâ, quae vafa obturaverat, materiâ lentâ et pituitofâ, alterni exoriuntur calores horrorefque, et reliquae hujus morbi notae.

Solidis autem humoribufque ita fefe habentibus, perfpicuum fatis eft, quod cantharides permultum fanè contra hunc morbum valere poffint; non modo enim ab earum ftimulo vafa corporis excitantur, et fanguinis motus

* Vid. Differtat. de incommod. ab ufu Veficant. p. 11.

motus promovetur, ſed à ſale quoque acri, humores viſcidi et inertes attenuantur, et in ſanguinem iterum delati, apti demum fiunt, qui è corpore exeant.

Vesicantium uſus hoc in morbo commendatur a laudatiſſimo auctore, qui Boerhaavii aphoriſmos commentariis illuſtravit: " omnia haec agunt ratione ſtimu-
" li, quô languentem motum ſanguinis excitant, et vi
" fundente, quâ pituitoſum iners dividunt et attenuant:
" hinc in omnibus morbis languidis et frigidis tanti
" uſus *."

Vesicantia denique nonnullis magno ſunt in pretio adverſus febres malignas putridaſve, quae ſaepiſſimè è contagio, nonnunquam verò ex inſita quadam ſanguini acrimonia, calore forſan motuque inſolito in pejorem gradum evecta, naſcuntur: quum verò in omni febre maligna, humores, ob motum, quô circumferuntur, nimium, citò diſſolvuntur et computreſcunt: Veſicantia, quae motum hunc intendunt, nihil certe levaminis, contra vero, haud parum incommodi hoc in caſu, praeſertim ſub initio febris, allatura videntur: " ſaepius enim, uti
" ait Huxhamus, feſtinanter nimium, et malo cum con-
" ſilio admoventur Veſicantia, praeſertim ſub principio
" febris, ubi ea viget admodum, ſtimulo quovis alio ne-
" quaquam indigens; vis enim cantharidum non in cu-
" tem

* Van Swieten Comment. in Boerh. aph. 75. vol. I. p. 108.

" tem ſolam agit, ſed ad omnes uſque nervos et vaſa, " quae toti impenduntur corpori, pertingit: quum igi- " tur Erethiſmus, et motus vaſorum oſcillatorii inde pen- " dentes, plus ſatis etiamnum intenduntur (id quod, in- " cipientibus his febribus, non raro accidit) fieri non po- " teſt, quin perperam omnimodo applicentur Veſican- " tia*." Huxhamo etiam conſentit Van Swieten: " ubi " vero humores diſſoluti, acres, in putredinem vergen- " tes, et magnus motus adeſt, Veſicantia non tutò adhi- " beri poſſe videntur †."

Post ſtatum quidem, vel in ultimo hujuſmodi febrium ſtadio, dum aegrorum vires deficiant, poſtuletque natura ſtimulum, Veſicantia audacius et cum fructu uſurpari queunt.

Aliis etiam in febribus, nec non in plurimis morbis diuturnis, uſui eſſe poſſunt cantharides, quos omnes ſigillatim percurrere, tentaminis hujus ratio non ſinit.

* Vid. Eſſay on Fevers, p. 118.

† Vid. Comment. in Boerh. aphor. 75. vol. I. p. 108.

FINIS.